Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31712
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

Duo ubera tua sicut duo hinnuli capreę gemelli que pascuntur inter lilia donec aspiret dies. et inclinentur umbrę. Vade ad montem myrrę et ad collem thuris. tota pulchra es amica mea. et macula non est in te. Veni de libano sponsa mea. veni de libano veni. Coronaberis de capite amana. de uertice sanir et hermon. de cubilibus leonum. de montibus parthorum. Vulnerasti cor meum soror mea sponsa. vulnerasti cor meum. In uno oculorum tuorum. et in uno crine colli tui; Quam pulcre es mame tue soror mea. sponsa mea. Pulcriora sunt ubera tua uino. et odor unguentorum tuorum super omnia aromata fauus distillans labia tua sponsa. mel et lac sublingua tua. et odor uestimentorum tuorum sicut odor turis. Hortus conclusus soror mea sponsa hortus conclusus. fons signatus. Emissiones tue paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus. cypri cum nardo. nardus et croc. fistula et cinamomum cum uniuersis lignis libani. Mirra et aloe cum omnibus primis unguentis. fons hortorum puteus aquarum uiuentium que fluunt impetu de libano. Vox sponsi. Surge aquilo et ueni auster pfla hortum meum. et fluant aromata illius. Ecclia de xpo. Veniat dilectus meus in hortum suum. et comedat fructum pomorum suorum. Xpc dic. Veni in hortum meum soror mea sponsa. messui myrram meam cum aromatibus meis. comedi fauum cum melle meo. bibi uinum meum cum lacte meo. Xpc ad apl os dic. Comedite amici mei. et bibite: et inebriamini carissimi. ego dormio. et cor meum uigilat. Vox eccle. Vox dilecti mei pulsantis. aperi mihi soror mea. amica mea. columba mea. immaculata mea. quia caput meum plenum est rore. et cincinni mei guttis noctium. exposui me tunica mea. quomodo induar illam. laui pedes meos quomodo inquinabo eos. Dilectus meus misit manum suam per foramen. et uenter meus intremuit ad tactum eius. surrexi ut aperiam dilecto meo. Manus mee stillauerunt myrram. digiti mei pleni myrra probatissima. pessulum ostii mei aperui dilecto meo; at ille declinauerat atque transierat; Anima mea liquefacta est. ut locutus est mihi; Quesiui et non inueni illum. uocaui. et non respondit mihi; Inuenerunt me qui custodes circueunt ciuitatem. percusserunt me. et uulnerauerunt me. tulerunt pallium meum custodes murorum. adiuro uos filie hierusalem si inueneritis dilectum meum ut adnuntietis ei quia amore langueo;

Ca. V.